

AVTOR LECTORI.

**Q**uoniam eam viam secuti sumus, quam erudita antiquitas ingressa, ad cognitionem pulcerrimarum rerum peruenit, quas rationes & quæ scripta in scholas reuocari in primis studeo, & aliquibus tamen hæc tractatio alienior uideri posset (multi enim ab illis uestigijs satis longe recesserunt) Ideo uisum fuit, quemadmodum Geometræ faciunt, ut uulgo ignota uerba explicent, & res dubias affirmando stabiliant, sic ostendere, & quid uocabula quibus usi sumus significare, & res quas tradimus, quo pacto intelligi uelimus. Cum autem necesse sit alios aliorum esse sermones de huiusmodi operibus, Ideo quædam hoc loco de toto genere talium descriptionum dicenda esse duximus. Erit autem nobis res cum ijs, qui neque prorsus ignari sunt disciplinarum Mathematicarum, & cognoscendi uerum desiderio tenentur. Ad cæteros enim alia oratione opus esset. Primum igitur iam manifestum est. Ea quæ de siderum positu proferuntur ex tabellis, quibus omnes communiter utuntur, a ueritate nunc admodum longe abesse. Quod ut attentius notaretur, superiore anno loca stellarum errantium & luminum, ad primos dies tantummodo singulorum mensium exquisita proposuimus. Nunc integri anni Ephemerides, id est diariæ indicationes siderum a nobis eduntur, quo certius errores uulgaris calculi depræhendi possint. Ante Ptolemæum quidem in Græcia ars hæc perfecta nondum fuit, post hunc autem paucis sæculis inter clades bellorum, cum minus cohererentur hæc studia, euenit pariter atque ante, ueritas ut amitteretur. Azophi, Mahumeta Aratensis, Thebith Saraceni, et mox Alphonsus rex Hispaniæ, fulcire ruinam conati fuerunt. Hic quidem diuinitus ad hanc curam suscitatus, sed temporum uitio, quod antiquitatis doctrina non teneretur, labascere etiam opus quamuis præclarum necesse fuit. Itaque post annos statim quadraginta, Guillelmus quidam de S. Glodjaldo, notas Alfonsinis quasi decisionibus, apponere ausus fuit, de suis observationibus, quod idem paulo post fecit & Prophatius Iudæus. Hos secuti sunt Ioannes Blanchinus, Georgius Purpachius, Ioannes Regiomontanus Francus, Bernardus Gualterus, Dominicus Maria, Qui omnes, quod intelligerent neglectione quadam in pulcerrimam artem animaduertendos errores inuasisse, studio & labore suo annisi fuerunt, ut aliquid illorum tollere & emendare possent. Arzaelem quendam, autorem, ut perhibent, Tabularum Toletanarum, magnum uirum fuisse non est dubium, ante Alfonsum annis circiter 183. Quem accepimus quadringentas duas observationes Solares reliquisse de constituendo Apogeo Solis. Ex quo manifestum sit, quanta illius contentio fuerit in hoc studio, Cum, ut in nostris commentarijs Astronomicis docetur, alia etiam ac potius quidem in hac parte sint spectanda Superiore autem ætate D. Nicolaus Copernicus, post omnes illos quos nominauimus & ipse ueluti manus admouit huius mundi machinæ. Et cum in Italia animum optimarum disciplinarum atque artium doctrina instruxisset, otium tandem nactus, rem totam diuino ingenio complexus, incredibili diligentia perfecit, omnium admiratione qui in his studijs uersarentur. Vixerat cum Dominico Maria Bononiensi, cuius rationes plane cognouerat, & observationes adiuuerat. Suas autem exquisitiones mediocres, non nimias esse uoluit. Itaque consulto non inertia aut tædio defatigationis, eas comminationes uitauit, quas nonnulli etiam affectarunt, & sunt qui exigant, qualis est Purpachij in Eclipsium tabulis subtilitas. Videas autem quosdam in his omnem curam ponere, ut plane scrupulose loca siderum scrutentur,